This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

HENRICI SEPTIMELLENSIS, aliàs SAMARIENSIS, vulgò HENRICI PAUPERIS,

ELEGIA

De Diverſitate Fortunæ, & Philoſophiæ Conſolatione.

Ex Mss. Mediceo MAGNI DUCIS HETRURIÆ, & altero CL. & Illuſtriſs. Viri ANTONII MAGLIABECHII.

Qvomodò ſola ſedet Probitas? Flet & ingemit Aleph.
Facta velut vidua, qvæ prius uxor erat.
Cui de te, Fortuna, qverar? cui? Neſcio. qvarè,
Perfida, me cogis turpia probra pati?
Gentibus opprobrium ſum, crebraqve fabula vulgi;
Dedecus agnoſcit tota platea meum.
Me digito monſtrant, ſubſannant dentibus omnes;
Ut monſtrum monſtror dedecoroſus ego.
Mordeor opprobriis; de me mala cantica cantat
Vulgus, & horrendus ſum ſibi Pſalmus ego.
Fama per Antiphraſin cantat, multumq; cachinnum
De me ludificans impia turba movet.
Concutit à tergo mihi multa ciconia roſtrum;
Hic aures aſini fingit, & ille canem.
Turba molendini, grex furni, concio Templi,
In mea facundis vocibus acta ſonant.

Digitized by Google

Si me commendet Naſo, ſi Muſa Maronis,
Si tuba Lucani; vix bona fama foret.
Qvem ſemel horrendis maculis infamia nigrat,
Ad bene tergendum multa laborat aqva.
Fata Neronizant in me; mihi triſte prophetant
Aſtra poli; mihi dat triſtia ſigna polus.
O dolor! ô pudor! ô gravitas! ô triſtia Fata!
Sum miſer, & nulli ſum miſerandus ego.
O bona proſperitas, ubi nunc es? Nunc mea verſa
In luctum Cithara, ſit lacrimoſa lyra.
O mala dulcedo, ſubito qva ſumpta venenas,
Qvave recompenſas mellea felle gravi.
O felix, qvi non eſt uſus proſperitate!
Nam venit ex ſola proſperitate dolor.
Non ſine felle ſuo dulcet Fortuna; nec albet
Abſqꝫ nigredine; nec mons ſine valle fuit.
Cui multum mellis, multum dedit ipſa veneni:
Mel vomitat primùm felleus ipſe ſapor.
Sic graviùs cadit hic, qvem format forma Gigantis;
Qvàm Nanus, cujus parvula forma ſedet.
Ut plumbum graviùs plumâ, paleáqꝫ lapillus:
Sic graviùs cadit hic, qvi bona multa tulit.
Aſt ego, qvi fueram ſatur omni proſperitate,
Hoc verum fateor omnibus eſſe modis.
Numinis ambiguos vultus deprahendo; Novercam
Sentio Fortunam, qva modò Mater erat.
Sum miſer, & miſeri nullus miſerans miſeretur:
In pejus veniunt omnia dira mihi.
Temperat aſſiduè pro me Fortuna venenum,
Qvo ſitit illa caput mortificare meum.

Nil

Nil agit infelix: perij! neqvit ergo nocere
Amplius: extincto vulnera nulla nocent.
Heu! qvid agam? qvid agam? plorabo. Sufficit iſtud?
Non: qvia Fata mihi deteriora parant.
Qvid tibi magne tuli, qvid, Jupiter? Unde nocendi
Iſta ſitis? Cælo fulmina nulla tuli.
Nec petii thalamos Junonis, nec volui: nec
Sæva Giganteis Fratribus arma dedi.
Cur mihi, ſæve, noces? cur? cur dic. Neſcio. Neſcis?
Ergo qvid innocuo, Jupiter alte, noces?
Hic nimis inſanum redolet, caret & Salomone,
Qvi nocet innocuo, qviq; nocere cupit.
Nam nimis iratus, nimis ille ſuperbus & ultra,
Qvi ferit inſontem, crimine dante locum.
Qvid me perſeqveris igitur? Victoria parva
Eſt, miſerum multis lædere poſſe malis.
Deſine. Qvid mirum, ſi Davum vincat Achilles?
Et ſi Therſiten conterat Hector eqvo?
Nam qvoties miſerum probus expugnare laborat,
Se miſero ſimilem nititur eſſe probus.
Ad lachrymas redeo, qvarum mihi copia, qvarum
Excurſus ſalſis potibus ora bibunt.
Eſt cibus anxietas, lacrimæ ſunt pocula, pœna
Panis, vina dolor: eſt mihi vita mori.
Qvod patior, pallor loqvitur, maciesq; figurat;
Indicat exangvis, turpiter alba, cutis.
Nam facies habitum mentis ſtudiumq; fatetur;
Mensq; qvod intùs agit, nunciat illa foris.
Interniq; ſtatus liber eſt & pagina vultus,
Exterior macies intùs amara legit.

Heu miſer! heu cæcus! heu demens! ſemina mundi
Iratos animos in mea fata trahunt.
Eſt mihi terra nocens, ignis gravis, unda nociva,
Aer triſtitiâ perfidiore nocet.
Sic mihi ſeptenis nocet impia turba Planetis;
Qvilibet in noſtrâ morte Planeta furit.
Saturnus falcem, fulmen fert Jupiter, arma
Mars, Sol fervores, dira venena Venus.
Mercurius virgam, cupidas fert Luna ſagittas:
Septem ſeptena concitat arma cohors.
Qvo fugiam? Vel qvid faciam? Mors undiq; claudit,
Ne fugiam, cunctas imperioſa vias.
Va mihi! Va miſero! Va proſperitate carenti!
Va cui ſcire datur, qvicqvid in orbe nocet!
Ex qvo prima parens vetito jejunia fregit,
Nullus in hoc miſero tam fuit orbe miſer:
Nec Tityus lacerus, refugis nec Tantalus undis,
Nec male qvi rexit lora paterna Puer.
Orbatus Niobes, Job vermes, ſibila Cadmi:
Hac collecta mihi proſperitate vigent.
Ergo qvis infelix patitur pejora? qvis ille
Triſtanus, qvi me triſtia plura tulit?
Obruor Oceano, ſavisq; reverberor undis,
Neſciat hinc reditum merſa carina ſuum.
Decidit incautes incauta carina; procellas
Suſtinet innumeras invidioſa ratis.
Me ſi tanta pati Natura volebat amara,
Ponere debuerat perfidiore loco;
Aut gelidâ Scythiâ, nimio vel Solis in ortu;
Aut ubi Soligeris concidit ardor eqvis:

Aut ubi perfidior qvadrangulus orbis habetur ;
Vel qvo perpetuùm torrida Zona calet ;
Aut aliqvo pejore loco, qvi gente vacaret,
Qvo minus opprobrii cognita fama foret.
Dulcius eſt, miſeros alienâ vivere terrâ,
Qvàm propriâ ; malè qvâ ſingula probra patent.
Malo meum ſciri longinqvis dedecus Indis,
Qvàm qvos vicinos efficit ipſe locus.
Hîc inter notos ſocios miſer ; inter amicos
Qvod nuger, qverulâ fertilitate premor.
Omnibus invideo melioribus : invida ſemper
Mens tantùm rodi pro meliore ſolet.
Qvot ſub Sole vigent, fateor, tot me meliores.
Sim licet Arturus ; qvalis habebor, ero.
Omnibus invideo ; nullus mihi. Mens dolet hinc, qvòd
Reciprocâ caret hic tranſitione dolor.
Nam caret invidiâ miſer ; imò miſerrimus ille,
Qvi nimis omnimodâ proſperitate caret.
Qvid ſim? qvid fuerim? cujus? ubi? qvid vocer? unde
Natus, Homo vel humus? Neſcio, mentis inops.
Me Domini, ſocij, noti (qvod majus) Amici,
Proh ſcelus! in medio deſeruere mari.
Cum Zephyrus flabat, multis comitabar amicis :
Nunc omnes aqvilo, turbine flante, fugat.
Ut Philomela cànens, frondes ſonitumqve canorum,
Et nemus, & ſilvas, frigore tacta, fugit :
Sic hiemis caſus, horrendaqve nubila vitans,
Omnis in adverſis rebus amicus abeſt.
Delicias Veris ſeqvitur, ſed tempore Bruma
Deſerit, ablato remige, falſus Amor.

Vultur edax, corvusq; niger, præſagaq; cornix,
Ventris ad ingluviem ſemper adeſſe parant.
Sectatur mel muſca, lupuſq; cadavera: Sic nunc
Prædam, non homines, gens parat iſta ſeqvi.
Vilis amicitiæ ſpecies, qvam qvalibet aurâ
Qvàm varius variat fluctibus orba Dea!
Si tales olim Euryalus Niſusq; fuiſſent,
Non duraſſet eis ille perennis amor.
Verus amor miſerum non dedignatur Amicum:
Vera fides, tantùm, neſcit, amœna ſeqvi.
Participat flores, & grandem grandinis iram,
Inconcuſſa fero turbine, rara fides.
Taliter unanimes loqvitur Scriptura ſodales,
Qvos ſtrinxit vero vimine verus amor.
Prævalet hoc ſolo mala Sors, qvod monſtrat amicos,
Qvi bene, qvi male; Sic monſtrat utramq; fidem.
Ut fornax aurum, mare navem, mucro catenas:
Sic gravior corda caſus amica probat.
Nam citius ſociis ſociabitur unica Phœnix,
Atq; lupi citiùs pace fruetur ovis;
Et prius Arturus veniet vetus ille Britannis:
Qvàm ferat adverſis falſus amicus opem.
Job, collata meis, anguſtia vincitur inde,
Qvòd Conjux fuit & trinus amicus ei.
Aſt ego deſertus non illam cerno, nec illos;
Me, præter nihilum, conſtat habere nihil.
Si foret hic Codrus, nunc eſſem Codrior illo:
Nam nihil hic habuit; aſt ego plura nihil.
Tot mea ſunt, qvod non ſine me Regina jaceret,
Si foret hoc verum: Pauper ubiq; jacet.

Tem-

Temporibus cunctis jejunus proſperitatis,
Morte minante nimis aſperiora gemo.
Ver dedit inditium, febrem mala contulit æſtas,
Nutrit & Autumnus, frigida paſcit Hyems.
Nocte dieq; malum me ſcyphis potat amaris,
Ut vigeant in me gaudia nulla mei.
Luce qveror, lacrimas fundo, ſuspiria ructo,
Scindo genas, plango pectora, rumpo comas.
Colloqvium turba tamen eſt ſolatio luce,
Et minuit pœnas lectio crebra meas.
Nocturnâ longè minor eſt anguſtia lucis.
Qvæ mea multimodo corda dolore ligat:
Nocte furit furijs nimiùm furor impius in me,
Qvi mea majori vulnere corda ferit.
Nocte gemo, gemino gemitus, cumulusq; doloris
Creſcit, corq; coqvit crebra Gehenna meum.
Væ mihi, *ſermo meus; mea fabula crebra dolenti,*
Dum tali mecum voce dolenda loqvor.
Sævit, & innumeris cor lancinat ira ſagittis,
Pœnarumq; fero turbine turba furit.
Volvor & evolvor, lectus non mollis acutis
Urticat ſpinis triſtia membra mea.
Nunc nimis eſt altum, nimium nunc decidit infra
Pulvinar, medium neſcit habere modum.
Nunc caput inclino, nunc elevo; parte ſiniſtrâ
Nunc ruo, nunc dextrâ; nunc cado, nuncq; levor.
Nunc hac nunc illac; nunc ſurſum, nunc rotor infra,
Et modò volvo caput, qvâ mihi parte pedes.
Non ita ſtare qveo: ſurgo lectumq; revolvo:
Sic modò volvo pedes, qvâ mihi parte caput.

Non ſic ſtare qveo : proprio maledico clienti,
Qvòd male cum lecto me facit eſſe meo.
Vocibus iratis inſontem clamo miniſtrum :
Huc miſer, Hugo, miſer ; huc, maledicte veni.
Qvid facis, Hugo? jaces? Lectus meus iſte, qvid hoc eſt?
Qvod male cotidiè ſternitur, unde locus?
Tunc ipſum colaphis & pugnis verbero duris ;
Et ſibi, qvod patior, verbere vendo malum.
Volvit & evolvit, plumasq; reverberat ulnis,
Et modò, qva tulerat, vindicat ipſa puer.
Tunc iterum jaceo ; dormire puto : nihil eſt qvòd
Uno momento firmiter eſſe qveam.
Sic ſolet arboreas Boreas evellere frondes ;
Sic rota molaris ; ſic aqva ſæva rotam.
Nunc calor ignitus, nunc frigus membra gelatum,
Nunc hoſtilis eis ſudor aqvoſus adeſt.
Nunc gemo ; nunc oculi lacrimas, ſua pocula, potant :
Imò vomunt gemino fonte rigante genas.
Si ſopor irrepſit, (qvod rarum) ſomnia lædunt
Multimodis animos motibus ægra meos.
Mergor in Oceanum, tenuem taxillor in aſſem ;
Armatos video currere ſæpe Deos.
Flumina parva fluunt, aret mare, corruit Atlas ;
Et geminas fortes concutit orbis aves.
Sum velut implumis, qvem rodit in ilice Cadmus,
Qva diro matrem carmine clamat, avis.
Sum velut eſuriens, qvi ſomniat aurea tecta,
Uſibus & veſtes, pauper, habere ſuis.
Sum velut exſpectans properantem ruſticus amnem,
Qvi cupit excurſis pergere ſiccus aqvis.

Sum

Sum velut eluſus, qvem detinet alea luſor;
Qvi cùm perdiderit, perdere plura parat.
Sum velut inſanus, qvi, cum plus læditur, hic plus
Fuſtibus & jactu liberiore furit.
At nimis infelix, qvi ſuſtinet innumeranda,
Qvi patitur meritis omnia plura ſuis!
Tot mala, tot pœnas patior; qvòd ſi qvis arenam
Conferat, innumeris cedet arena meis.
Pagina ſit cœlum, ſint frondes ſcriba, ſit unda
Incauſtrum; mala non noſtra referre qveant.
Tot gravibus lædor, qvod non pejora timeſco:
Qvi ſummè miſer eſt, plus neqvit eſſe miſer.
Sit maledicta dies, in qvâ concepit, & in qvâ
Me mater peperit, ſit maledicta dies.
Sit maledicta dies, qvâ ſuxi pectus, & in qvâ
In cunis vagiî, ſit maledicta dies.
Sit maledicta dies; vita de ventre ſepulcrum.
Me transmutaſſet ô Deus, illa dies.
Cum dabat ubera mater; ne mala tanta viderem,
Debuerat jugulis præſeeuiſſe caput.
Mortua nam melius abſcondere membra ſepulcro,
Qvàm vivendo pati deteriora nece.
Omnia conjurant in me; Pater alme, miſertus,
Succurras miſero, ſpes mea; Summe Pater.
[*Omnia conjurant in me, tu Kyrieleyſon,*
Succurras miſero, ſumme Creator, ymas.]
PLange miſer palmas, Henrice miſerrime plange,
Et caput & dira pectora plange miſer.
Me ſibi privignum Rhamnuſia dira noverca
Ardet in horrendis perpetuare malis.

Digitized by Google

Eſt fortuna mihi ſerpente Neronior omni.
Nam ſerpens fugit, at ſapius illa fugat.
Qvando mihi tribuet ſors proſpera proſperitatem?
Non hodie, non cras, qvod puto; forſan heri.
Cum me blandifero reſpexerit alea vultu,
Arne, retro properans fonte recurre tuo.
Qvam malè fructificat, qva nunqvam floruit arbor!
Spes qvoq; meſſis abit, cùm male germen obit.
O pudor, ô timor, ô dolor, ô mala tadia vita!
O comes aſſiduus pluſq; furore furor!
Qvid faciam? Vos hoc mea, dicite, turba dolorum!
Nam vos auxilium conſiliumq; meum.
O Deus, ô, qvare ſubito Fortuna rotatu
Cuncta molendinat mobiliore rotâ?
Sors mala, ſors pejor, ſors peſſima, ſorsq; maligna,
Facturam turpi protheat arte tuam.
Hanc, Pater, hanc animam, miſeram qvam corpore trudis;
Hanc lacrymis plenam ſuſcipe, redde polo.
Alme parens animam, qvam pœna turma flagellat,
Suſcipe, qvam ſtygiis tritat Erinnys aqvis.
Qvam ferit Alecto, qvam Tiſiphoneq; fatigat,
Cui Fortuna nocet, qvamve Megara furit.
Ergo pium Pietas te reddat, ut impia ceſſet
Alecto, miſerum qva lacerare ſitit.
Tu qvoq; veſaui promptiſſima cauſa doloris
Auſculta, celerem perfida ſiſte rotam.
Verberibus praceps diris, Fortuna, qvid hoc eſt,
Qvòd caput adſtringis inſidioſa meum?
Qvò rapis, ô fera, me? Crœſum facis impia Codrum,
Neſtora Therſiten, turpius auſa nefas.

Nun

Digitized by Google

Nunqvid ego Scarioth? nunqvid ſum Pontius? unde,
Tam graviter merui tanta flagella pati?
Stulta qvid inſanis? caput hoc, caput hoc qvid acerbas?
Pone modum ſceleri, perfida, pone modum.
Deficiunt alii, me ſolum ſola fatigas:
Sed videas qvid agas: ultio raro perit.
Proſpice, ne tua te pœnarum turba ſagittet;
Nam ferit auctorem ſæpe ſagitta ſuum.
Heu! qvid agis? qvid agis qvid? me, qvid, perfida perdis?
Pone modum ſceleri, perfida, pone modum!
Dic mihi, qvid feci? Reſponde, lingva doloſa:
Reſponde per eum, qvi ſuper aſtra ſedet.
Si nobis, veſana, tui, ſi copia detur;
Dilaceranda feris turpiter eſca fores.
Qvis furor? unde furis? Qvid me furioſa laceſſis?
Pone modum ſceleri, perfida, pone modum!
TALIBUS, orba, ſuas dictis, Dea, præbuit, aures;
Hæc ait, & celerem circinat ipſa rotam:
Qvid mea mordaci laceras vaga facta Camænâ;
Qvem fore plus miſero pluſq; dolente dedi?
Nonne meo Mundi clauduntur regna pugillo?
Nonne meum regnum climata cuncta tremunt?
Græcus & Hebræus; & Barbarus atq; Latinus
Me timet, exhorret; me veneratur, amat.
Nonne poteſtates mundi, mundiq; minora
Imperio cogo ſubdere colla meo?
Nuper Alemannus, Siculam delatus in oram,
Ludendo Fericam perdidit ipſe ſuam.
Perdidit hic eqvites, Rochos, pediteſq; minores;
Perdidit, & calvis vix bene tutus abiit.

Meſq;

Meq; Saladinus, nimium vexilla Salutis
Expugnans, hoſtem ſentiet eſſe ſuam.
Qvid referam veteres, qvorum fert fama ruinam?
Mater Pompeio, deinde noverca fui.
Ubera ſic Dario poſt ulcera, mellea Cyro
Fellea pòſt, nutrix ingenioſa dedi.
Tu, qvem fama ſilet, qvem noſcit dedecus, iram
Opprobriis laceras, opprobrioſe, meam.
Qvidve minas agitas? reus es pro crimine læſæ
Majeſtatis, & hoc tota propago luet.
Proſpice qvid facias, nondum perit omne venenum;
Et mea vis nondum deſinit eſſe mea.
Qvæ pejora potes: Meretrix Fortuna, noverca
Peſſima, Medeâ dirior, Hydra ferox.
Ad nihilum deveni; reſtat Spiritus, oſſa
Non habet, in qvo nil hæc tua probra valent.
Morte nocere putas? foret hæc mihi vita ſalubris:
Duplicior mors eſt, morte carere, mihi.
Qvam lætus, qvacunq; Deus donaverit horâ,
Suſcipiam; poſt hanc Stercus in ore tuo.
Qvid toties varias ſumis, furioſa, figuras?
Nunc alacris rides; nunc lacrymoſa gemis.
Florida nunc, nunc ſordida, nunc nigra, nunc rubicunda,
Aurea nunc, nunc es ſordida facta luto.
Protheus es nè? vagùs ne movet tua viſcera ventus?
Vel tua Diabolus viſcera crebra movet?
Semper es inconſtans, vaga, mobilis, aſpera, cæca,
Inſtabilis, levior, perfida, ſurda, fera.
Tunc ea, ſubridens: O qvanto pulvere noſtris
Humana mentis lumina cæca latent!

Nunc-

Digitized by Google

Nunqvid obaudiſti: Sermones ponderet unus-
qvisq; ſuos; ſapiens cogitat ante loqvi.
Legibus indictis utor: Si legibus, ergò
Juſtis; Si juſtis, jure fit. Ergo bene.
Nonne ſua licitè ſic qvilibet utitur arte?
Qvod ſibi Sors dederit, utitur omnis homo.
Miles eqvis, piſcator aqvis, & Clericus hymnis,
Nauta fretis, pugiles Marte, Poëta metris.
Ruſticus aſper arat, numerat mercator avarus,
Virgo legit flores, ſtultus amator amat.
Aſt ego, qvæ Dea ſum, qvâ nulla potentior orbe,
Qvem ligat Oceani circulus orbe ſuo;
Nonnè meam licitè, ſtultiſſime, perſeqvor artem?
Sic opus eſt, ut te præcipitando rotem.
Ergo vide, qvid agas: Sapiens deliberat ante
Qvàm faciat. Sic tu præmeditare miſer.
[*Glorior elatus, deſcendo mortificatus,*
Rurſus ad aſtra vehor infimus, axe rotæ.]
Ha! genus humanum, mea qvantis aſperat acta
Morſibus, atqve meum dentibus occat opus!
Si tibi divitias digitis porrexero largis,
Laudibus extollor imperialis Ego.
Tunc ego ſumma parens, & tunc Regina verenda;
Tunc Dea ſumma Deo præferor ipſa Jovi.
Sed ſi forte meam retinentem clauſero dextram,
Morſibus & ſtimulis mordeor ipſa feris;
Tunc ego perjura, tunc turpis adultera dicor;
Tuncqve Sacerdotes me vitiaſſe ferunt.
Tu modò, ſed qvare? me dentibus aſper acutis
Infelix laceras obloqvijsqve tuis,

Arbi-

Digitized by Google

Arbitrio loqveris: nam Juris pondus abhorres,
Et dedignaris de ratione loqvi.
Se docet injuſtam cauſam partemq; tueri,
Qvi ſolis probris certat iniqva loqvi.
Sic ſolet ignarus, cùm deſunt verba, Sophiſta
Garrulus, ut videant, voce tonare, ſui.
Sic qvoq; cùm deſunt tibi jura, recurris ad ipſam,
Qvam bene noviſti, garrulitatis opem.
Ergo, ſi qva tuis, qvod non puto, mentibus harent,
Juſta refer; vel tu, qvod magis oro, ſile.
Tunc ego: Veſanum meretrix Rhamnuſia monſtrum,
Non licet hac ſolum verba referre mihi.
Tu facis, & diris laceras me, perfida, factis,
Improperans poſt hac verba nefanda mihi.
Nunc ſcio de facto, qvod ſemper culpa redundat
In miſerum; qvi non, unde tuetur, habet.
Lis qvoties oritur aqvilas ac inter olores,
Culpa ſolet minimis ſemper iniqva dari.
Sic qvoties certant Actaon, Rexq; ferarum,
Peſſima, qvi minor eſt, jura fovere ſolet.
Et qvoties rabies ſavit Germanica Tuſcis,
Oppida teſtatur lavia fracta fides.
Tu qvoq; me. Sed ſi vim vi depellere poſſem,
Vel taceas, tua vel parcior ira foret.
Cautiùs ergò tuas Satyras inimica Deorum
Inſere; vel tibi qva ſint recitanda, vide.
Nam male caſtigat ſocios, qvem crimen eâdem
Labe premit pariter, qvam removere ſtudet.
Sic Paris Ægyſthum, ſic Lucius ille Cethegum,
Sic qvoq; Retrogradum mater aqvoſa ſuum.

Non

Non igitur ſtudeas alios damnare, qvod in te;
Ne cadat in barbam pœna pudenda tuam.
Nam fatuum nimis eſt, aliqvem damnare ſeipſum:
Qvod tibi ne facias, litigioſa, cave.
Tu levis & vana, tu præceps, tu furioſa,
Tu ratione carens neſcis habere modum.
Me feris atq; furis, laceras mea membra, laceſſis,
Et latus & latum deſtruis omne meum.
Tunc ea: Non unum mecum lucrabere nummum.
Qvid Dominam qværis dedecorare tuam?
Namq; ſuo ſervus Domino luctando repugnans,
Calcitrat in ſtimulum perfidus ipſe ſuum.
Diſcant mortales Dominos proprios venerari:
Nam qvi fraude nocet, fraudibus ille perit.
Nunqvid Alexander, nunqvid tu Ceſar es? unde
Tanta Superbia, vel tantus, iniqve, furor?
Tu qvis es? unde furis? te ſcimus & unde fuiſti,
Qvæ ſit origo tui, qviqve fuere Patres.
Te decet horrendis verſare ligonibus arva.
Qvod genus agreſti poſtulat arte tuum.
Et qvis es? unde venis? Cro, Cro, veſane recede,
Et geme perpetuum, perpetuumq; late.
Qvicqvid agas, qvicqvid dicas, qvicqvid patiaris,
Non facis ut retrahas, qvod mea dextra trahit.
Sic ego Primatum venerandaq; ſceptra tenebo,
Et pro velle meo, mel tibi felq; dabo.
Tu formica brevis, mus parvus, nanus inanis;
Qvid mihi, qvid facies, nane pudende? nihil:
Nil tua probra, minas, generalis Iconoma rerum,
Curo, ſed in Cathedrâ glorior ipſa meâ.

Non

Non minus ungvipotens volucres, leo papiliones,
Nec Polus anguſtum Tibur, avara, minùs.
Nec minus, archivolans tremulas generoſa cicadas,
Qvàm tua vaniloqva verba minasq; tremo.
Qvid tua ſanna poteſt? ſi qvis deriſor, & ipſe
Deriſus turbis omnibus eſſe ſolet.
Nyctimene ſonitu deridet nocte volucres,
Nunqvid eam lacerat cætera turba die?
Sic qvi derident alios, ridentur & ipſi:
Nil magis in populis eſt generale notâ.
Ergo qvieſce miſer, miſer ergo qvieſce, qvieſce:
Nam levè verba potes ferre, ſed acta gravè.
Tunc ego: Deliris ſtomachor Rhamnuſia dictu,
Dum mihi probra tuis objicis, orba, metris.
Dum mea vaniloqvis recitas convitia verbis,
Nil gravius verbis ſævior ira tenet.
Non opus eſt verbis, gladio qvi percutit hoſtem;
Nam ſatis ad vulnus ſufficit enſis atrox.
Improperas nè mihi genus, uſuraria, monſtrum,
Fronte capillata ſed retrò raſa caput?
Simia non es: turpior es, turpiſſima rerum
Res es; neſcio qvid, qvàm nihil, eſſe velim.
Sim licet agreſti tenuiq; propagine natus:
Non vacat omnimodâ nobilitate genus.
Non præſigne genus, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas verâ nobilitate viget.
In tenui calamo latitat mel ſæpe ſüave,
Et modici fontis temperat unda ſitim.
Nil tremis, unde locus? Bucifal ſæpiſſimè muſcis,
Et formicarum ſæpe fit eſca Lupus.

Nil

Nil adeo validum, qvod non aliqvando teratur.
Hoc & ab invalido ſæpe videre potes.
Vomer humo, lapis undâ, pollice gemma : qvid ultra?
Sæpe, qvod eſt validum, frangere molle poteſt.
Non ſemper Marium, nec ſemper ſæpe rotatum
Volvis Apollonium : fortior alter erit.
Qvi redimens mea probra, fero pugnabit agone,
Et tibi forſan atrox auferet ille caput.
Tunc ea : Pacificis loqvar ex ratione loqvelis,
Si placet, & mecum pacificare velis.
Deſpicerer nimium, ſi ſtarem ſemper eodem
Vel bona, vel mala, vel inter utrunq; manens.
Omne, qvod eſt crebrum, nimio ſordeſcit in uſu:
Omne qvod eſt rarum, carius eſſe ſolet.
Pulegio piper eſt generoſum vilius Indis;
Vilior herbicolor cauteq; jaſpis ibi.
Carior eſt griſeâ gelidis Chlamys aſpera Gotis,
Qva fera carnificis dextera nudat ovem.
Bononia claro plus milite carus habetur
Clarus, & horrendus Marte furente, pedes.
Non adeò potes ipſe qveri; tibi ſæpe benigna
Et, qvamvis nunqvam prodiga, larga fui.
Nunc ego, nunc tibi propoſui clementior eſſe,
Si libet, ut mecum pacificare velis.
Abſit, iniqva canis, me tecum pacificare;
Se tibi pacificet, ſæva, Brunellus iners.
Nam tibi nulla fides, nullus modus, ordine nullo
Vivis, & eſt ſocius pro ratione furor.
Tunc ea : Judicio non tecum ſtare recuſo;
Ut videat Lex hoc Juſtiniana ſcelus.

Si bene dicis, habes qvod abeſt, jus: & rationem,
Si male; præceptis ergo qvieſce meis.
Nil meliùs, qvàm jura ſcias, ignara rotatus
Staret, qvem gyras, orbis in orbe ſuo.
Siſtere judicio furioſi jure vetantur.
Ergo tibi jus, cùm ſis furioſa, vetat.
Tunc ea: Vade, ferox, hoſtis meus eſſe memento.
Tu qvoq; vade, hoſtis eſſe memento mea.

LIB. II.

CUM mea lamentans elegiaca facta referrem,
Et cùm Fortuna verba inimica darem:
Ecce nitens, probaq;, Salomonior & Salomone,
Ante meum mulier limen amana ſtetit.
Qvam facies belenat, variat qvam forma viciſſim:
Nunc cælum, nunc plus, nunc capit illa ſolum.
Hanc Phroneſim dicam, ſeptena cohors comitatur:
Præbuit officium cuîlibet illa ſuum.
Prima fovet pueros, alia ſylogizat, amanat
Tertia, colloqviis practicat illa ſolum.
Hæc abacum monſtrat, alia philomenat, & altum
Erigit ad ſuperos ſeptima virgo caput.
His prædicta Dea ſedit comitata Deabus,
Et qvaſi compatiens mis patientis, ait:
Qva lethea tuus potavit pocula ſenſus?
Qvo tua dormitat mens peregrina loco?
Certè cæcus es, & tua mens exorbitat; illud
Tantillum neſcis, qvod Schola docta dedit.
Heu! qvantum pateris! de ſola mente doleſco,
Qvod tuus hoc peregrè tempore ſenſus abit.
Si foret hîc Ypocras, & tota medela Salerni;
Morbida non, vel vix, mens tua ſana foret.

Nam

Nam neqvit antiqvum medicina repellere morbum;
Qvodq; diù crevit, durat in eſſe diu.
Heu! doleo ſuper hoc, qvòd mentem perdis, & omnis
Bruteſcis ſenſu, beſtia factus homo.
Qvid tibi cum lacrymis? lacrymarum copia nullum
Participem voti, debilem at eſſe facit.
Qvi gemit, ingeminat ſua damna, dolore dolorem
Ampliat, & duplici funere vivus obit.
Qvid tibi & injuſta Fortuna? multaq; ſemper
Paſſus es opprobrij vincula propter eam.
Vis ipſam non eſſe vagam? natura repugnat,
Qvæ dedit inſtabilem ſemper, & eſſe vagam.
Seminat in ſpinis, natura jura retractans;
Garrula divelli rana palude neqvit.
Qvi cupit auferre naturam, ſeminat herbam,
Cujus in Arcturi tempore fructus erit.
Te nimis aura rotat, nimiumq; moveris amaris;
Et nimium ſtolidum te facit eſſe dolor.
Non hominem redolens, hominis denigrat honorem,
Qvi neqvit adverſis proſpera juncta pati.
Utitur ignarè dulci, non uſus amaro;
Namq; per oppoſitum noſcitur omne bonum.
Diſce gravanda pati: Patientia temperat iram,
Et diros animos mentis oliva domat.
Nonne recordaris, veluti, ſtimulante tyranno,
Moriger innocuâ Seneca morte perit?
Nonne meus Severinus, inani jure peremptus,
Carcere Papiæ non patienda tulit?
Nonne cupidineus metroſus Naſo magiſter,
Expulſus patriâ pauper & exul obît?

Qvid referam multos, qvorum ſine crimine vita,
Verbera Fortunæ non patienda tulit?
Silva capillorum numeratis cederet illis,
Qvos necis immunes inclyta vita dedit.
Aſpera ferre decet, maturant aſpera mentem,
Et bene matura pleniùs uva ſapit.
Per nimios æſtus gelidas tranſitur ad undas;
Sicqve per oppoſitum dulcia qværit homo.
Laurea pro pœna, pro morte corona reſultat;
Unde laborat homo, præmiat inde labor.
Qvid facis immundo? mundis immunda qvid optas?
Immundus mundus qvæ tibi munda dabit?
Vivere, ſtulte, putasne per omnia ſecula? per te
Factus es inſanus credulitate tua.
Inſani ſanè capitis gravitate laborat,
Qvi putat hoc, mundo vivere poſſe diu.
Senſus abit tuus, & tuus intellectus aberrat,
Et tua lethæis mens peregrinat aqvis.
Dic; ubi ſunt qvæ te docuit Bononia qvondam?
Hæc, ego, dic ubi ſunt, qvæ tibi ſæpe dedi!
Te multum fovi, docui te, ſæpe rigavi,
Et mea ſecreta ſæpe videre dedi.
Tu mea vitis eras, tu palmitis umbra novelli:
Tu fructus validam ſpem mihi ſæpè dabas.
Te raſtris colui, te ſepis vimine cinxi,
Et lapides ex te & cuncta nocenda tuli.
Tempus adeſt fructus, vitis dedit ipſa labruſcas,
Proq; roſâ crevit aſpera ſpina diù.
Heu! cadit in ſpinis, qvod ego in te ſemino, ſemen,
Et mentem ſpina ſuffocat ipſa tuam.

Qvod

*Qvod loqvor & moneo, qvod ſemino ſemen, * ipſa*
Qvàm malè multiplicas ſemen arena ſuum.
Tu nimium tuus es, nimis & tibi credis, inepte,
Et ſolus credis providus eſſe Cato.
Philoſophus nimis es, nimiumq; Platonior ipſo:
Ultrà Philoſophos mens tua ſæpe fuit.
Absq; labore ſeqvi (Pythagorica cornua cerne!)
Virtutem dextro limite nemo poteſt.
Eſt aliâ furcâ facilis deſcenſus Averni,
Ut docet archiloqvâ voce Poëta Maro.
Non ſine ſudore probitatis ſcanditur arbor;
Non ſine ſudore Martia palma venit.
Laudo te, ſed in hoc non laudo, qvòd ipſa caduca
Aufugiſſe citis greſſibus orbe gemis,
Proh dolor! unde doles? dolor unde times, dolor unde
Ploras; qvæ tua ſunt, ô miſerande cinis?
Primitùs in mundo tecum tua qvanta tuliſti?
Nudus eras primùm, poſtea nudus eris.
Tunc ego: mira refers; qvid at hoc eſt, vera Sophia!
Qvid dicis? nimis eſt hic mihi ſermo gravis.
Qvis modò tam mitis, tam dulcis, tamq; benignus,
Qvem nimis hac ultrà non ferat ira modum?
Non ego, cùm videam paleis poſtponere grana,
Cùm ſuperet molles nunc ſaliunca Roſas,
Cùm fructus hodie ante ſuos parat edere flores
Arbor abortivis prodigioſa comis.
Cùmq;, ut grande nefas! tolluntur ad aſtra nefandi,
Et premitur vitâ deteriore probus.
Dic mihi, qvi mores, qvæ vita, qvis ordo Neroni
Urbis & orbis opes imperiumq; dedit?

Ecce (ſed id taceo) multi, probitate vetante,
Nomen habent, qvibus eſt nominis umbra pudor.
Tunc ea: Deciperis, nec te ignorantia juris
Excuſat; nimis es, imperioſe, rudis.
Qvàm gravis his labor, & qvam magna induſtria mentis,
Noſcere veraci cognitione probos!
Sæpe bonos mendax mentitur opinio pravos,
Atq; è converſo promovet ipſa malos.
Omnis qvæ niveo volucris plumeſcit amictu,
Non eſt, ſi ſimilis, vera columba tamen.
Sæpe ſub agnina latet hirtus pelle Lycaon,
Subq; Catone pio perfidus ipſe Nero.
Et contra bene ſcis inter latet hispida mollis
Tegmina ſangvineo tincta rubore roſa;
Tamq; Duces claros Ithacum, prolemq; Philippi,
Membra per obſcuros litera priſca refert.
Multa vides igitur faleris circundata fictis,
Qvæ ſe longè aliter, qvàm videantur, habent.
Injuſtos habuiſſe doles faſtigia rerum?
Longa tibi ſtatus hic cauſa doloris erit.
Qvàm ſit ad alta trahi miſerum mortalibus omnes,
Neſcis: Si ſcires, hæc ſiluiſſe velis.
Promovet injuſtos Fortuna volubilis, ut qvos
Scandere præcipites fecit, ad ima rotet.
Nam graviore ruit turris tumefacta ruinâ,
Et graviûs pulſat alta cupreſſus humum.
Mens hominum qvantis errorum cæca tenebris
Mergitur, ut reputet ſola nefanda bonum.
Non felix, qvi non, ubi creſcat honore; ſed hic, qvi
Non, ubi decreſcat, qvo neq; poſſit, habet.

Va

Digitized by Google

Væ tibi, væ mortale genus, qvod ſemper ad alta
Niteris, ut lapſu perfidiore cadas.
Hic gladios, hic pocula ſæpius hoſtis & hoſpes
Temperat, interitûs dira venena ſui.
Aſpice, cui toties Capitolia celſa triumphos
Obtulerant, famulum fata tuliſſe ſuum.
Aſpice qvem Babylon cupido potavit in auro;
Fataq; qvàm tulerat Cæſar acerba ſuis.
Nonne ferox Macedo protectus ab hoſte, tyrannus
Corda venenatus inter amica perit?
Qvid Darium referam, qvid Cyrum, qvidve Neronem?
Nam tenui ſemper ſtamine pendet honor.
Ecce modernorum priſcis exempla relictis,
Paupertate nihil tutius eſſe poteſt.
Unicus ille Leo, fidei vigor, unicus imò
Murus, & hoſtilis unicus ille timor;
Dux ferus & noſtra Corradus cauſa Salutis:
Cur? qvia magnus erat, proditione perit.
Qvi modò regnantes & fortès fregerat arces,
Cui genus & cenſus robora dura dabant;
Nuper væ miſero ſub paupertatis amictu
Captus & incluſus, Anglicus, acta luit.
O cæcum mortale genus! Qvid tutius ergò
Paupertate? ferè nil; nihil absq; ferè.
Vade per Hiſpanos, & nigros vade per Indos;
Vade per inſidias, vade per omne nemus.
Vade per hoſtiles cuneos turmasq; latronum:
Dum modò ſis verus, tutus egenus eris.
Qvid faciet vacuus coram latrone viator?
Lætus & intrepidus fundet ad aſtra melos.

Digitized by Google

Qvid rutili torqves, qvid proſunt ergo tiara?
Qvid ſceptrum, qvid honos, qvid loculusve ſatur?
Qvidve Magiſtratus, & qvid pretioſa ſupellex?
Paupertate nihil tutius eſſe poteſt.
Tunc ego: Scire velim, ſi non nimis eſſet onuſtum;
Mundus an hic venæ nobilioris erit?
An proprium (qvod amo) ſcelus exuet; aut magis iſto,
Qvo jacet infelix ſtabit in eſſe ſuo?
Dic tamen unde ſuprà memini benè, cur retuliſti?
Immundus mundus qva tibi munda dabit?
Tunc ea: Vix umbram; gerit hæc prœludia rerum
Solvere propoſitum luciditate qveunt.
Nunqvid ad Argentum puro venimus ab Auro?
Alter ab Argento curſus ad Æra fuit.
Tutius in Ferrum ſit curſus ab Ære, qvod & nunc
Decidit in, curſu deteriore, Lutum.
Deficiente Luto qvid erit? venimus ad ipſum
Stercus, & in tali fœteat omnis homo.
Ecce, vides qvantis putreſcit ſordibus iſte
Mundus, & hoc ipſum nomen habere neqvit.
Omnia degenerant pejoribus, omnia currunt
Curſibus, & fracto remige navis obit.
Mundus amat, ſpernit, tenuat, ſectatur, abhorret,
Peſſima, juſtitiam, jura, nefanda, bonum.
Mundus alit fraudes, refovet ſcelus, arcet honeſta,
Recta fugit, violat fœdera, fœda cupit.
Ipſa caput Mundi, venalis curia Papæ,
Proſtat, & infirmat cætera membra caput.
Sacrum, (cerne nefas, noſtroq; pudentius ævo,)
Venditur in, turpi conditione, foro.

Chriſma

Chriſma ſacrum, ſacer Ordo, altaria ſacra, ſacrata
Dona. Qvid hæc ultrà ? venditur ipſe Deus.
O ſacra, qvæ ſacras maculant commercia ſedes !
O ſacra, qvæ faciunt cœlica templa forum !
Tale tuus mundus (Si mundus jure vocatur)
Tale freqventatum ſudat habere forum.
Ecce, ſed iſta (pudet) circumvaga turba, ſcholares,
Sectantur propriâ venditione forum.
Citra legis iter per tam pretioſa propago
Vanit ſervili conditione. dolor !
Libertas vitiata fugit, nunqvamq; vocari
Ingenuam tali deditione docet.
Ecce (nefas !) ſeſe, ſtimulante cupidine, nupta
Vendit, & innupta contigit illud idem.
Si foret (ut qvondam) Lucretia caſta, crumena
Cum ſibi porrigitur, cedet avara tibi.
Penelope vidua ſua mercenaria vita,
Ad nummi ſonitus audiet illa preces.
Venditur (ô dolor !) omnificis ſententia nummis,
Judiciumq; pium copia frangit opum.
Deviat à vero corruptus munere Judex ;
Falſiloqvumq; facit impia gaza pium.
Luxus edax, livor macer, ardor cæcus habendi
Vaſtat opes, mordet optima, corda cremat.
Peſtis adulatrix, perficto riſula vultu,
Cuncta poteſt ; Satrapis delicioſa comes.
Ecce ſuo Pylades (Scelus !) inſidiatur Oreſti ;
Nuptaq; ſub-proprium ſannat iniqva virum.
Clericus & Doctor, miles rudis, & leve vulgus,
Negligit, horret, alit ; jura, modeſta, malum,

Migrat in exilium virtus, vitiumq; triumphat,
Regnat, & in populis grande tribunal habet.
Neſcio qvo cæco lenita papavere dormis,
Mensq; creatorem neſcit iniqva ſuum.
En! iterum toto lingvâ crucifigitur orbe;
En! iterum patitur dira flagella Deus.
Veſpaſiana manus iterum conſurgat, & omnes
Diruat Oceanus, qvi ſcelerata patrant.
Factorem factura ſuam, ſtimulante tyranno,
Delictis, factis deſpicit orba ſuis.
Inde fames venit, inde gravis discordia regnis;
Inde Cananæis præda cibusq; ſumus.
Inde premit gladiis carnalis ſpiritualem;
Et vice converſa ſpiritualis eum.
Hinc ſubitos Atropos prædatrix occupat artus,
Nec ſinit ut doleat pœniteatq; miſer.
Jure vides igitur; qvòd recta ligatio nectit,
Immundus Mundus, hæc duo verba ſimul.

HActenus, unde dolor, & qvæ fomenta doloris,
Vidimus, inventâ perfiditate mali.
Nunc opus eſt morbum levis ut medicina refrenet,
Atq; hoſtem faciat hoſtis abeſſe ſuum.
Primitùs inſanas lacrymarum pelle procellas;
Qvarum conjugio perditur omne bonum.
Nam dolor accumulat vires, ubi planctus abundat,
Triſtitiamq; mali duplicat ipſe ſui.
Si mala dat planctus, malus eſt hic ergò neceſſe;
Si malus, ergò nocet: ſi nocet, ergò fuge.
Contra mœrores cape gaudia: Velle refrena,
Atq; mali finem ſemper adeſſe puta.

Gra-

Grata ſuperveniet, qvæ non ſperabitur, hora;
Qvæ compenſabit fellea priſca favis.
Una ſerena dies multorum nubila penſat;
Et, luteum, tergit, qvod facit unda, ſolum.
Fortunam dimitte vagam; permitte vagari,
Qvæ nunqvam ſtabili ludere fronte poteſt.
Contra Fortunam ſis conſtans, ſis patiens, ſis
Ferreus, adverſi te neq; frangat hyems.
Fortunâ ridente gemas, plorante joceris;
Ipſa ſit auſpicium, tempus in omne, tuum.
Cuncta rotat Fortuna rotâ, qvâ cuncta rotantur.
Sic tenui magnus orbis in orbe perit.
Firmus in adverſis, piger ad mala, tardus ad iram,
Promptus ad obſeqvium, triſtis ad omne nefas.
Sis tibì diſcipulus, aliisq; magiſter, & intus
Sis tuus, extrà ſed totus aliis eris.
Virtutem qvære, vitium fuge: Qvid ſit honeſtum,
Qvære; qvid utile: Qvid turpe fugando fuga.
Amplexanda tibi, Cleri theſaurus, Honeſtas;
Et ratio, populis (heu!) modò rara comes.
Nec viſcoſa manus, oleoq; nec uncta ſit, imò
Inter utrumq; tenens, reſpuat omne nimis.
Inter Democritum, triſtemq; Demoſthena curre;
Indè ſtatum libret virgo modeſta tuum.
Stillet in ore favus, ſed mente reſultet oliva;
Et non ſit totus ſenſus in ore tuus.
Reſpue multivagos, ſtabiles ſectare, caduca
Penſa, peccantes argue, ſiſte leves.
Dicta minùs ſint, facta magis; ſis parcus in hymnis,
Parcus in opprobrijs, largus ad omne decus.

Factaq;

Digitized by Google

Factaq; ſi deſunt, non deſint dicta benigna;
Nam multos charos mellea lingva parit.
Majores ſectare, pares venerare, minores
Inſtrue; vel juvenes punge, vel unge ſenes.
Ebrietatis onus fuge, ſperne Cupidinis antrum;
Exulat hinc virtus, hac ubi jura tenent.
Sibila ne vulgi, ne dona retrograda cures.
Extra virtutem, ſit tua cura nihil.
Sit petra, ſit glacies. Qvid ad hoc? magis utilis eſſet
Paganus tibi, qvàm claviger uncus homo.
Aurum plumbeſcit. Qvid ad hoc? & nectar aceſcit;
Qvodq; Monarcha negat, ſæpe Tetrarcha facit.
Ergo Dei primò confidas in bonitate,
Et tua virtutum jure ſecundet eam.
Naturâ contentus eris; mala ſcandala vita;
Et tua conſilium qvalibet acta probent.
Ad tempus luſor, nunqvam deluſor; amicus
Semper ſis, minùs in corpore, mente magis.
Sanctiloqvos rimare libros, manſveſce rogatus,
Legibus inſuda, nil niſi juſta refer.
Paucis dedecus, omnibus obſeqvium, caveas ne
Frons rugoſa neget, qvod manus ipſa facit.
Qvi decus oblatum rugoſâ fronte venenat,
Plus mihi Diabolo diſplicet ille dator.
Dona ſerenus homo, carumq; ſerenat amicum,
Atq; datum facie duplicat ipſe ſuum.
Nil niſi qvod dederis, promittas; namq; trutanam
Eſſe facit lingvam ſæpe chiragra manus.
Mallem te podagrum, qvàm taliter eſſe chiragrum.
Invalidis pedibus auxiliantur eqvi.

Qvod

Qvod donare velis, dones ſine ſpe redeundi;
Nè, qvod aperta dedit, retrahat unca manus.
Nam dator oblator, cancrum gradiendo figurat;
Qvem cancrum faciat dedecus eſſe ſuum.
Ne circa famulos te, peſſima conſiliatrix,
Concitet iratis vocibus ira gravis.
Major enim virtus, clementer habere clientes,
Qvàm qvos majores efficit ipſe gradus,
Nec ſis lingvoſus, nec in omni famine mutus:
Sed ſola ſtudeas utilitate loqvi.
In te cognoſcas alios, magis utile nil eſt:
Et magis urbanum nullus in orbe poteſt.
Nec ſit amica tibi pragnans extenſio ventris.
Eſt nimium miſerum corpus habere cibis.
Nulla minor virtus, ſocium qvàm vincere menſâ,
Et ſacco ventris aeqviparare peram.
Hypocrita vitium Simonis contagia, qva nunc
Clericus omnis amat, ſint inimica tibi.
Accuſare cave, qvem non accuſat abuſus;
Ne male procedens tu patiaris idem.
Proſpera non ſemper qvaras, nec ſemper amœna:
Non ſemper dulcis lingitur ore favus.
Non omni pratum feſtinat tempore flores;
Nec ſemper viridis purpurat herba ſolum.
Utere diſcretis, qvibus inclyta vita ſit idem.
Nam niſi diſcretum ſumere nemo poteſt.
Namq; bonis bona, ſed de pravis prava trahuntur;
Dulcia de dulci palmite vina fluunt.
Non roſa dat ſpinas, qvamqvam ſpinâ orta ſit illa:
Nec viola pungunt, nec Paradiſus obeſt.

Plus tibi ſit carum mundum, qvàm Mundus; amicus,
Qvàm ſocius; qvàm ſit ſangvinis ipſe gradus.
Nec nimium ſtolidæ te credas credulitati;
Nam plus qvàm Scharioth tradidit illa viros.
Non magis Iconium Fredericum tradidit olim,
Qvam nunc credulitas ſuſpicioſa ſuos.
Plurima ſuſtineas; junge medicamina morbis,
Et multum morbum multa medela fuget.
Ut varias optant diverſa negotia leges:
Sic varias Phyſicas invaliitudo tremens.
Hæ ſuccos, hæ ſemen amant, hæ cortice gaudent.
His coma, radices his, medicina favent.
Phreneticos malva, colicos abſynthia curant,
Epaticos aniſum; lac qvoq; ſpaſmus amat.
Sic non officium celebrat qvinarius unum
Senſus, ſed propriâ qvilibet arte viget.
Ille colores, ille ſonos, ſapit ille ſapores,
Alter odoratus, alter amœna ſapit.
Tu qvoq;, qvem nimio vitium deforme fatigat
Pondere, virtutum pocula plura bibas.
Sit tibi cara tui Victoria plus alienâ,
Et te plus aliis vincere Marte ſtude.
Crede mihi, magis eſt virtute domare ſeipſum,
Qvàm vice Samſonis ſternere mille viros.
Qvemlibet officiis, ne qværas qvis ſit, honora.
Nam multos claros lætus amicat honos.
Greſſibus aſſiduis qvisqvis bene qværit honorem,
Reciprocis gradibus hunc qvoq; qværit honor.
Blandus adulator, & proditor impius æqvo
Semper, dum vivis, ſint in amore tibi.

Nam naturali blanditor jure tenetur
Riſibus & phaleris proditor eſſe ſuis.
Fiſtula dulce canit, ſi non mihi, crede Catoni,
Dum Lyra dulciſono carmine prodit aves.
Nec nimis aſtutis vulpeſcat lingva loqvelis:
Nam dubiam pariunt vulpida verba fidem.
Neve tuum jactes alienum, deprecor, Hymnum,
Ne volucrum ſynodo nuda cachinnet avis:
Nunqvam cervicem ſine cauda pingere tentes:
Nam ſine fine ſuo primitiare nocet.
Mutus ad opprobrium, ſurdusq; ad murmura, tacus
Ad vanum, ſtolidæ claudus ad artis iter.
Hymnificet de te tua non, ſed vox aliena:
Nam bene feſtivos ſtercorat illa viros.
Sit tibi plus inimica noverca Superbia morum,
Qvàm qvæ Chriſticolas gens Saladina necat.
Sitq; magis ſolito tibi guſtus amoris amarus:
Nam ſcio, qvod ſcio, qvòd tu ferè ſtultus amas.
Qvid tibi cum Venere, qvid cum Meretricis alumno?
Credis tu Paridi? ſtultus es atq; Paris.
Spurius ille puer nullum ſvadebit honeſtum:
Natus adulterio ſemper adulter erit.
Qvos heremitat amor, potius deremitat; & ipſe
Fac amet Hippolytus, mente Priapus erit.
Eſt fugiendus ob iſta fide jejunus ab omni,
Qvòd nimis orbiculat, ſeq; crumenat amor.
Proſcribas igitur gladijs & fuſtibus ipſum;
Et fugiendo fuga, qvem fuga ſola fugat.
Ne te, pigritiæ conſors, dilatio tardet
Ad bona, nam cupiens omnia tarda putat.

Nam

Nam mora denigrat donum, meritumq; minorat,
    Sed cita grandificat munera parva manus.
Ne credas ſolos Magnates eſſe timendos;
    Et fidus ſocius eſt, & amicus amans.
Major bonos, Pyladem carumq; timere ſodalem,
    Qvàm Reges Syriæ, Cæſareosq; duces.
Invidiam fugias, morſusq; ſororis iniqvos,
    Qva rabido carum dente caninat opus.
Nec te prætereat humana ſortis origo,
    Terrea teſta, luti gleba, miſerq; cinis.
Heu caro noſtra dolor, plus flore caduca caduco,
    Qvi parvo ſpatio fit puer atq; ſenex.
Qvàm fragilem textrix contexit aranea telam,
    Tam fragili tegitur tegmine vita brevis.
Qvemlibet in proprijs gradibus probitatis honora,
    Optimitas tibi ſit plus bonitate placens.
Simplicitate fruens hic ſcotica fercula miſcet,
    Qvi plus atq; minus æqvat honore pari.
Fermentat claros nummoſa pecunia mores,
    Qva tibi ſi fuerit hoſpes, & hoſtis ego.
Moribus excultus, ſincerus mente, modeſtus
    Actibus, exemplum voce, rigore gravis,
Dura, modeſta, probis, patiens, maturus, abundans
    Perfer, ama, tribuas, mente, vigore, manu.
Contra ventoſas rabies, & fulminis ictus
    Plus qvercu ſolidâ levis arundo poteſt.
Prævalet in cunctis diſcreta modeſtia rebus,
    Qvâ ſine virtutum grande peribit opus.
Nam pravis dare nil aliud, qvàm prava fovere,
    Unde probis tantum debet adeſſe manus.

Sint

Digitized by Google

Sint licet obſcuri, ne ſpernas corporis artus,
In qvibus ingenium plus brevitate placet.
Lampadibus Templum ditans, dulcore palatum,
Eſt brevis, & fructu duplice ſervit, apis.
Eſt brevis accipiter, volucrum tamen obruit agmen,
Et fugat elatum vipera parva bovem.
Sit tibi perpetuum ſpolians deriſio dentes
Hoſtis, & inſidiæ ſit dolus illud idem.
Diſcretus ſis & ſapiens, urbanus, honorus,
Providus, intentus, ſtrenuus, atq; vigil.
Scripta legens veterum, rigidum ſectare Catonem,
Morigerum Senecam, pacificumq; Probum.
Dulichium, Araſtrum, Ciceronem, Neſtora, Titum,
Pectore, Conſilio, More, Loqvendo, Manu.
Indue virtutum trabeam, mentemq; Tyrannam
Exue; qvære bonum, deſpiciasq; malum.
Non Ypocras, non ipſe ſuis Podalirius herbis,
Non licet ingenium fundat Apollo ſuum;
Omnia verboſis memorent medicamina lingvis,
Qvæ ſi tentarent ſingula, tempus abit.
Et mihi Sicaneos, ubi noſtra Palatia, muros,
Sic ſtat propoſitum mentis, adire libet.
Ergo dicta tuis ungas medicamina morbis,
Et qvæcunq; vides perficienda tibi.
Litibus hoſtis, fraudibus hoſtis, criminis hoſtis,
Et, qvæ depravant, omnibus hoſtis eris.
Juris amicus, honoris amicus, amicus honeſti,
Et, qvæ juſtificant, rebus amicus eris.
Hæc præcepta libens vigili trahe mordicus aure,
Qvæ permiſta ſimul combibe, ſanus eris.

Digitized by Google

Et licet hæc bona ſint, multo potiora relinqvo,
Qvæ non ſunt humeris officioſa tuis.
Hæc tibi ſufficiant: non omnia poſſumus omnes.
Tu qvod habere vales, ſuſcipe velle ſine.
Argento fruitur, rutilans cui deficit aurum;
Et violas carpit, qvi neqvit ungve roſam.
Tunc iter arripiens, ait: Hæc Henrice reconde,
Et finem verbis hunc dedit illa: Vale.
O meus alter ego, probitatis alumnus, & hoſpes,
Longepres, Henricum mente reſume tuum.
Nulla remota via ſolidum partitur amorem,
Et qvem partitur, integritate caret,
Nec mens, nec planum, nec pars ſpatioſa marina
Hos disjungit qvos copulat unus amor.
Longepres unde locus qvod amor dimittat amorem,
Talis ab oppoſitis dicitur eſſe locus.
Ergo, ut vivat amor, concordia donet, & unum
Velle duos unum mentibus eſſe facit.
Teq;, nec immerito, cui nomen floris adhæret
Florenti, famulum mente reſume tuum.
Parco tibi, qvia parco tuis, flos inclite, culpis,
Ne tua vivifices viribus acta tuis.
Suſcipe millenis citharam qvam dirigo nervis,
Orpheus ignotâ Carminis arte rudis.
Inclite cui vivo, ſi vivo, provide Præſul,
Florentine, ſtatum ſcito benigne meum.
Sum paſſus gravia, graviora, graviſſima qvanto
Paſſio, ſi velit ars, poſſet ineſſe gradu.
Ergo vale præſul, ſum veſter Spiritus iſte;
Poſt mortem veſter, credite, veſter erit.

Vi

Digitized by Google

Vivus & extinctus te ſemper amabo; ſed eſſet
Viventis melior, qvàm morientis, amor.

Explicit Liber HENRICI SEPTIMELLENSIS.

HENRICI PAUPERIS

Verſus ex alio Libro laudantur ab Incerto, qvi Flores Poëtarum collegit, Coloniæ excuſos 1490. & alibi, non addito Anno ac Loco.

Lib. I. c. 16.

QVilibet ignotis de ſe bona prædicat, & qvi
Non habet, uſurpat nomina magna ſibi.

Ib. c. 25.

Divitiæ mentem vitiant: Ditata repente
Non penſat, qvid erit, non meminit, qvod erat.

Ib. c. 26.

Multa licet placeant, nihil omni parte beatum.
Circa perfectum ſiſtitur omnis homo.

Ib. c. 27.

Utilis horriditas, non onus eſt, ſed honor.

Ib. c. 29.

Aggrediens litem cum divite, ſive ſit actor,
Sive reus, pauper, cedat utroq; modo.

Ib. b. 31.

Sic, qvi ſumma petit, cadit aſperiore ruina:
Qvi jacet inferius, non habet, unde cadat.

Ib. c. 13.

Teſtudo miſeris, tygris felicibus eſt mors.

Lib. II. Cap. 49.

Hoſtiles inimicitias dat inhoſpita ſedes:
Hoſpite ne careas hoſte carere volens.

Lib. III. Cap. 3.

Ad mala ſola bonus, contra bona ſola malignus,
Invidus, ut pœnas inferat, optat eas.

Ib. c. 7.

Hoſtes diſſociat, qvi vult invadere: Poſſunt
Singula qvæq; minus, multiplicata magis.

Ib. c. 20.

Si tibi vis credi, prius exue ſuſpicionem:
Nam ſolet excludi ſuſpicione fides.

Ib. c. 24.

Eſt facilis falli mens fallere neſcia: Falli
Simplicitas facili credulitate ſolet.

Ibid.

Credulitas feſtina nocet; conſvevit habere
Effectûs fragiles impetuoſa manus.

Ib. c. 27.

Nulli conveniet, ſibi qvi contrarius ipſi
Exſtat, ut unde calor prodijt, inde gelu.

Ib. c. 38.

Conſortes pauci, comites multi; via multos
Una capit, paucis permanet una fides.

Ib. c. 43.

Non refert, an ſis mediata vel immediata
Cauſa mali; ſola lex ad utramq; facit.

Lib. IV. c. 23.

Non alios curat, qvi ſe male negligit ægrum.
Omne qvod eſt ſuimet tendit ad eſſe ſuum.

Ib.

Ib. c. 29.

Viribus objicere vires non expedit: Immò
Blanditijs poteris exſuperare minas.

Lib. V. c. 16.

——Certa præſentia parva futuris
Ambiguis magnis utiliora puto.

Lib. VI. c. 33.

Sic perhibet cornix potiorem viribus artem:
Quæ, quod non potuit viribus, arte poteſt.

*** *** ***

TRACTATUS DE SEPTEM VIRTUTIBUS.

Ex Ms. Cl. & Illuſtriſſimi D.D. ANTONII MAGLIABECHII.

ARdua virtutum faciles cape, Lector, ad uſus:
Alta ſolent humiles carpere poma manu.
Utilis eſt operis, magnos relevare labores,
Et grave per planum ducere pondus iter.
Verba nocent, aptis ſi non moderentur habenis,
Turbat & harmonicam diſſona chorda lyram.
Sæpe ſemel miſſam neqvit os retinere loqvelam;
Sæpe neqvit ſiſti, qvi malè currit, eqvus.
Sed nec ob hoc vivam tacitus contemno loqvelam:
Non eſt pro lolio rejicienda ſeges.
Vitrea preſſa nocent, dilapſaq; vaſa teruntur:
Me qvoq; nec multum nec decet eſſe loqvax.
Non eſt propoſiti ſub verbis fallere noſtri;
Si qvis enim fallit, fallitur ipſe magis.

Digitized by Google

Nil, docto mendace, poteſt crudelius eſſe:
Non decet immitem pellis ovina lupum.
Sed ſibi, plus alio patitur, qvi detrahit hoſti:
Plus tibi, qvam cuiqvam, febre gravatus, obeſt.
Qvàm plures aliena notant, ſua crimina nunqvam:
Albula non oculis eſt manifeſta tuis.
Lingva modeſta praeſt legibus dominisq; ſuperbis:*
Omnia, temperies, exuperare poteſt.
Si timeas Dominum, te cuncta creata timebunt:
Obſeqvium Regni Regis amicus habet.
Non reverens Dominum, revereberis eſſe creatum:
Regi ſuſpectus, fronte cadente tremit.

IMPIA te fugiat, nec ad alta, Superbia, tollat:
Qvò magis aſcendit, plus citò flamma cadit.
Glorificans humilem ſeqvitur poſſeſſiò mentem:
Fervida plus plano tollitur unda ſolo.
Altiùs ut bullit, ſolet arbor fœtificare:
Funditur in nibilum mens feritate tumens.
Inflat ſe nimiâ frangendus laude ſuperbus:
Et nimio cantu ſæpe cicada crepat.
Gloria plus miſeros ſolet offuſcare ſuperbos:
Deniqve plus claudum crura decora notant.
Inclyta laus homines ſeqvitur virtutis amicos:
Mollis enim veſtis regibus apta placet.
Magna ſolent altos confringere fulgura montes:
Fractus triſtitijs ſæpe ſuperbus erit.
Latâ fructificant convalles fertilitate:
Fructificant humiles, eſt qvibus alta qvies.
Vana ſuperborum vacuat jactantia mentem:
Sic tenuem pennam ventus abire facit.

Fira

Firma ſolet virtus humiles ſervare qvietos:
Non cadit, in planâ qvi reqvieſcit humo.
Sæpe ſolet blandus crudelior eſſe minante:
Sæpe magis rapidâ plana nocebit aqvâ.
Vult cùm ſummo qviſqve DEO ſupereſſe, ſuperbit:
Sed cedens, oleo qvalibet, unda, ſubeſt.
Gratior eſt humilis, latitant bona cujus in imis:
Plus fago cucumer, ſublatitando, placet.
Infimus eſt humilis, ſed ſe magis abnegat ipſe:
Et multum fructum mortua grana ferunt.
Peſtem nemo poteſt mulieris ferre ſuperbæ:
Nemo ſub accenſo ſuſtinet igne manum.
Gloria qvos inflat, crepitu jactantia frangit:
Veſica tumida parvulus ictus obeſt.
Sed cunctis humilis dat condimenta ſaporis:
Fercula dum condit, diligit ima piper.
Regum corda ſolent humiles placare miniſtri:
Nec ſibi proſtratis ſcit ferus eſſe Leo.
Difficiles non qværit opes humilis vir & actus:
Qvando volant altè, non capiuntur aves.
INVIDIÆ ſtimulos ſtudeas vitare feroces:
Gallus ab invidiâ ſæpe cruentus obit.
Se ferit ante ſuo, ſi qvem petit, invidus ictu:
Vipera prole ſua ſe pariente perit.
Pectora ſæpe dolent alienâ proſperitate:
Et glacies, Solis tacta calore, perit.
Invida peſtifero latitant in corde venena:
Et qvò plus latitat, plus baſiliſcus obeſt.
Sola ſub invidiâ non eſt fortuna dolentis:
Sola carent ſtimulis oſſa ſepulta ſuis.

Digitized by Google

Omnibus innocui ſunt ſimplicitatis amici:
Simplex, nè noceat, felle columba caret.
Innocui nullo poterunt lædente noceri:
Fornax argentum purius igne facit.
Sæpe nocivus obeſt ſibi, nec cui credit obeſſe:
Sæpe ſagittantem miſſa ſagitta ferit.
Invida per ſubitam morietur fœmina lingvam:
Fractaq; per rapidam prora peribit aqvam.
Dilectum plus paſtor habet pecus ubere plenum:
Plusq; placet proprio fœmina caſta viro.
Vir ſapiens prodeſſe cupit, nec lædere qvenqvam:
Parsq; valens corpus non premit ulla ſuum.
Non nocet indicio livor propulſus aperto:
Ad viſus hominis mox baſiliſcus obit.
Præviſos perimit ſubitò baſiliſcus ocellos:
Invidus anticipat, qvos nociturus adit.
Obſtupet innocuus, ſibi cùm prior invidet hoſtis:
Vox fugit illius, qvem videt ante lupus.
Sæpe repentinus placidum mare ventus adinflat:
Invidus unanimem non ſinit eſſe domum.
Fœda cruore ſuo trucium ſunt ora luporum:
Sæpe ſuo virus lividus ore notat.
Lingvâ ſæpe ferit gladio crudeliùs angvis:
Invidus in verbis eſt homicida ſuis.
Vacca pio vitulum non nunqvam lingit amore:
Gratus vir lingvâ cuiq; placere ſolet.
PULCHRA ſub infeſtis reqvieſcunt lilia ſpinis:
Mitibus & gratis nemo nocere poteſt.
Fervida corda gerens calidâ revoceris ab irâ:
Frigida ſudanti pocula ſæpe nocent.

Te

Te tua præcipitat, ſi non tibi caveris, ira:
Præcipites proprio ſæpe vigore cadunt.
Mitia pacificam pariunt præcordia mentem:
Mitis nectareum parturit ira merum.
Pallida vexatos homines facit ira cruentos:
Sæpe gravis grando duriùs hoſte ferit.
Sæpiùs iratum placidus retinendo coarctat:
Sæpe graves fluctûs anchora fixa premit.
Proficit exultans gelidam vir tardus ad iram:
Proficit herba virens non ſuperata gelu.
Nata dolet fruſtrà de re, quæ tranſijt, ira:
Mortuus in vanum ſollicitatur equus.
Manſvetudo feram flectit ſine verbere mentem:
Et rigidum membrum molle medela facit.
Omnia vir placidus vitiorum prælia vincit:
Omne ferox animal placat amica manus.
Solus in adverſis novit requieſcere mitis:
Solus ovat piſcis, quando procella tumet.
Diſſipat ira virum, per quam caro mensq; necatur:
Diſſipat & frondes pomaq; grando ruens.
Irreverens mulier ſolitam non deſerit iram:
Mortiferum ſemper virus in angue viget.
Nil muliere bonâ nil eſt moderantiùs unquàm:
Nil ove ſub cœlo mitius eſſe poteſt.
Nobilis exuperat diras patientia linguas:
Et ferus à placidâ vincitur ignis aquâ.
Labilis inſtabilem notat impatientia mentem:
Vanaq; ſub planâ forma videtur aquâ.
Non ſe, non alios, habet iracundus amicos:
Ut ſibi, ſic alijs, vipera ſemper obeſt.

Magna qvidem facies, validos ſi viceris hoſtes:
Sed plus eſt, animo ſi dominere tuo.
Flamma domum ſuperans non linqvit abire Colonum:
Ira virum memorem non ſinit eſſe ſui.
Nullius adverſi patiens terrore movetur:
Firmiter in ſaxo ſtat fabricata domus.
Diro ſpina ſono crepituq; laborat in igne:
Ira loqvax homines aſperitate cremat.
Sæpe lupum nocuit pueris aluiſſe domandum:
Iracundus obeſt, cui ſociatus erit.
Expectata ferunt valiturum ſemina fructum:
Et ſua vir patiens vota videbit ovans.

FRIGORA *triſtitiæ nunqvam tua corda coarctent:*
Sæpe tenax glacies duriùs igne nocet.
Felix triſtitiam mentis conſtantia frangit:
Felici glacies ſole calente fluit.
Læta parit longam mitis conſtantia vitam:
Læto radicis munere ligna virent.
Triſtitia vitium virtutes diſſipat omnes:
Et prohibet vites fructificare gelu.
Nil niſi præteritum novit revocabile mæror:
Nil niſi qvod non eſt umbra pavoris habet.
Temperat indomitam mentis conſtantia lingvam:
Frænis indomiti morigerantur eqvi.
Sæpè levis mulier mæroris frangitur ictu:
Et teneris herbis parvula muſca nocet.
Fortior eſt conſtans præcelſo fœmina monte:
Terraq; plus ſtabilis cernitur eſſe polo.
Triſtitia vinum non eſt niſi Mortis amicum:
Non niſi mors alijs Vita Draconis erit.

Car-

Digitized by Google

Carneus ex animo mæror ſolet eſſe ſuperbo:
Ex fœda teſtâ fœtidus exit odor.
Dulcia durus habet qvæ ſunt contraria mæror:
Ipſaq; leproſo vita nocere ſolet.
Lætitiæ matrix paſcit conſtantia mentem:
Viverè jucundè firmior eſca facit.
Semet ad ima trahunt religati tartara triſtes:
Semet Arachneum muſca dat acta cibum.
Sæpe ferox ſeqvitur mox deſperatio mentem:
Feſſus ſe mergit ſæpe natator aqvis.
Mens tua triſtitiæ conſtantibus obviet armis:
Hoſte ſub immiti vulgus in ora cadit.
Læta facit vigiles hominum conſtantia mentes:
Formicam vigilem non premit ulla fames.
Duriùs aſſiduo ferrum conſumitur ictu:
Triſtis abhorretur, nec ſocialis erit.
Provocat artificem proprio res cœpta decore:
Et facies hilaris creſcere qvenq; facit.
Mardochæus ovat, ſed Aman mærore necatur:
Lædere, mœſta, volens mens ſibi primò nocet.
Ad triſtes caſus inimici non hilareſcas:
Vir probus extinctâ plus ſibi febre cavet.
Fili ſpe vitæ ſemper lætare futuræ:
Spe celebris menſæ fert gula læta famem.
NULLUS *Avaritiæ ſtimulus tua pectora pungat:*
Ericius vulpi ſæpe cupitus obeſt.
Ne ſibi deſit humus ſtudet anxia fodere talpa:
Ne ſinat eſſe reus qværit avarus opes.
Perpetuas acqvirit opes vir, qvi miſeretur:
Qvò plus mamma nutrit, plenior eſſe ſolet.

Sæ

Sape ſuâ cupidus conſumitur anxietate:
    Et nimis eſuriens illaqveatur avis.
Qvicqvid habent cupidi, nihil eſt, qvibus omnia deſunt:
    Amplius accendit, cùm datur eſca focis.
Sape ſolent volucres alienos paſcere pullos:
    Sape ſuas alijs dat miſerator opes.
Hîc timet, hincq; dolet, cupere hinc non pauſat avarus:
    Ventus, ſpina, rogus, victa qviete carent.
Non turbant adverſa pios, non proſpera tollunt:
    Nec lauri folijs æſtus hiemsq; nocent.
Peſtis avaritia fragili viget in muliere:
    Sape etenim lignum ſiccius ignis amat.
Provida non capitur temerario fœmina qvæſtu:
    Cauta cibum laqvei non temerabit avis.
Extra vina fluit, nec ſurgere deſinit unda:
    Nunqvam deficiet dans miſerator opes.
Aret humus ſterilis * icta ſemina perdit:
    Qvicqvid habet perimens, aret avarus homo.
Qvisqvis opes habitas neqvit expugnare, peribit:
    Qvi neqvit in multâ nare, peribit, aqvâ.
Nemo Deo praviſa ſibi vitabit ab alto:
    Bos neqvit impoſito tollere colla jugo.
Anxius opprimitur, diteſcit ſape qvietus:
    Planta perit motu, planta qviete viget.
Dat ſolitum miſeris miſeratrix fœmina victum:
    In ligno vili mella recondit apis.
Laia, licet cautum, male mens diſponit avarum:
    Nemo valet rectè ſcribere luce carens.
Vaſa ſub incautâ figuli fornace peribunt:
    Mens ſub avaritiâ perdita, frangit opes.

Digitized by Google

Multi ſic fabricant, dat pondus qviſq; ruina:
Lucrantes cupidi dant ſua ſeqve neci.
Spernens juſtus opes, multis miſeretur egenis:
Cœlum nulla cupit, plurima præbet humo.
Optima peſtiferos pellunt ungventa dolores:
Omne fugat vitium largus amore pio.
Concava ſæpe nocent ad eqvinos ſcandala curſus:
Et ſocijs planum turbat avarus iter.
Sæpe pilus turbat calami ſcribentis acumen:
Communiqve bono mixtus avarus obeſt.
Non mola dat gratam, niſi ſit bene cuſſa, farinam:
Non, niſi cogatur, præbet avarus opes.
Pictor arata priùs proprio dat ſigna colori;
Et ſua cuîqve pio præmeditata dabunt.
Sangvis Achab fuſus doceat te Regis avari,
Ut tua ſat tibi ſint, non aliena velis.
INSESSAM conſtringe gulam memoratus avorum:
Cùm pluviæ ſuperant, conſita qvæq; necant.
Qværere magna ſolet ſtomachus tormenta guloſus:
Sæpe canis latrans vulnera ſæva petit.
Membra valere facit parcum moderamine guttur:
Et lyra dulciſonos dat moderata ſonos.
Sæpe focus nimius propriam conſurgit in ædem:
Sæpe cibus nimius mors ſolet eſſe ſuis.
Utilis eſt domibus parcis moderantior ignis:
Utilis eſt homini potus & eſca brevis.
Igne domus valido conſumitur intus & extra:
Sæpe cor & corpus crapula lædit edax.
Sat ſolet eſſe, hominem ſentem ſuperare cruentam:
Sed melius cupidam vincere poſſe gulam.

Li-

Digitized by Google

Libera ſæpe ruit citius gula mortis in ima:
Et ſolet in præceps currere liber eqvus.
Impius in ſcelerum veniet gravitate ſuorum:
Multaqve balbutit lingva gravata mero.
Sordeſcit rivus pluviali plenus ab imbre:
Sordet & inſolito flumine plena gula.
Sæpe tremenda virum rapiunt peccata guloſum:
Eſcaq; decipula ſæpè retentat aves.
Urbe fugit populus, diro qva vincitur hoſte:
Mens fugit, ut fuerit gutture victa caro.
Sæpe gulâ ſaturi pereunt abſente diætâ:
Sæpe gulâ moritur, nî reprimatur, eqvus.
Nulla gulæ poterunt fore ſufficientia peſti:
Plus ſitit hydropicus, plus ſitiendo bibit.
Impia mortiferæ mens ſubditur ebrietati:
Vipera vipereo mordet amore parem.
Ebrius eſt nulli, jam mortuus, aptus honori:
Mortuus abjicitur vilis ab æde canis.
Dulciùs ebrietas intrat nocitura prophanos:
Dulce ſibi diro virus in angve manet.
*Du * tibi placent, non immoderantia regnet:*
Perdit enim curſûs immoderatus eqvus.
Diſſipat inſignem tinea corroſio veſtem:
Ebria congeſtas fœmina rodit opes.
Apta ferunt ſapidos ſitienti vaſcula potûs:
Sobria fert mulier gaudia multa viro.
Dulces ſobrietas præbet virtutibus eſcas:
Dulces dat ſoboli mater amica dapes.
Umbra viatoris nimio demulcet ab æſtu:
Sobrietas homines abſqve dolore nutrit.

Ab-

Digitized by Google

Abſtinet ore ſuo, qvò paſcat avicula pullos :
Abſtinet, ut ſenſus, vir benè doctus, alat.
Spernas ergò gulam feritatis ſemper amicam ;
Ut ſis Angelicâ ſobrietate pius.

LUXURIAM forti ſtudeas religare catenâ :
Nam prodeſt rapido forte ligamen eqvo.
Luxurioſa magis lacerat mulcendo voluptas :
Plusq; cibo ſapidus piſcibus hamus obeſt.
Blanda Venus diro præcordia fine remordet :
Et Sirena canens membra qviete necat.
Innumeri lacerant fœtentia corpora vermes :
Innumeras pœnas luxurioſus habet.
Omnia luxuriæ cupidis mulcentia deſunt :
Nil ſibi ſufficiens ignis habere poteſt.
Rex ſua pacifico felix tenet omnia ſceptro :
Virq; pudicitiæ cuncta qvietus agit.
Grata paralyticis mors eſt vexatio membris :
Mors eſt fœmineus, dum male vexat, amor.
Plurima laſcivus cupiens, nil obtinet, ut vult :
Non habet in viſco tenta, qvod optat, avis.
Sola placent celebri convivia ſplendida Regi :
Sola placent alto pectora caſta Deo.
Promtula plus omni meretrix eſt ſordida cœno :
Omni plus auro fœmina culta nitet.
Abſq; pudicitiâ labuntur ad infima mores :
Abſq; ratis nauta perire ſolet. mal.
Sæpiùs hoſpitium ditat bonus hoſpes amicum ;
Hoſpite ditantur pectora caſta Deo.
Sibilat eſuriens miſerando milvus hiatu :
Et ſua laſcivus vota gemendo luit.

Stultus opes minuens damnum mercator adauget:
Stulta Venus minuens læta, dolenda fovet.
Templa pudicitiæ cœleſtis gratia replet:
Nunqvam continuâ Sol ſine luce manet.
Sæpe libido ſolet truculentos reddere vultus:
Sæpe ſolet peſtis rodere membra latens.
Caſta pio mulier veneratur amore maritum:
Caſta ſuum turtur novit amare parem.
Vir mulierq; ſibi ſervantes fœdera, creſcunt:
Servant alterutrum ſe relevando pedes.
Nil eſt nobilius, qvàm vir mulierqve pudici:
Nil potius gemino lumine mundus habet.
Annulus ex rutilo gratus ſolet eſſe lapillo:
Gratificat proprium fœmina caſta virum.
Nil nocet in tantum, qvàm ſi mulier dominetur:
Flamma, larem proprium tranſgrediendo, nocet.
Perditur igniferis juvenis meretricis ocellis:
Perditur implicito gramine læta ſeges.
Non timet inſidias, vigili qvi regnat in arce:
Et pius agnus obit proripiente lupo.
Ingve pudicitiâ gaudet caro mensq; beatâ:
Ceraq; melle fluit, donec habentur apes.
Mœcha neqvit mulier Joſeph ſuperare pudicum:
Virtus plus, vitio ſollicitata, poteſt.
Ferrea vicino vis ſæpe reſolvitur igne:
Nec vir erit ſtabilis cum muliere freqvens.
Contineas igitur, fugiasq; libidinis ignes:
Nam loca ſana ſolent frigidiora fore.

Explicit Liber de Septem Virtutibus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google